



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Absolutio pœnitentialis plura ex parte absoluentis presupponit, qibus deficientibus inanis eddicitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

#### 4 Absol. ex parte absol.

Superstitio ab Ecclesia Dei, in tantum quòd si alicui commissa sit à superiori potestas absoluendi à casibus, reseruatìs sub aliqua conditione (putà, concedo tibi facultatem absoluendi ab homicidio, si absoluendus fecerit talem pœnitentiam, putà peregrinationis, aut tantæ eleëmofynæ &c.) debet confessor non conditionaliter, sed simpliciter & absolutè, absoluere pœnitentem præceptantem talem pœnitentiam, quia nulla commissio potest alterare formam sacramenti.

Circa reiterationè absolutionis nota quòd potest iterari super omnino eadem peccata, sed non potest iterari super omnino eandem confessionè quia super eandem materia n proximam nullius sacramenti forma iterabilis est sine injuria sacramenti: quia ipsa iteratio attestatur insufficientiæ prioris formæ: si enim prima ut sufficiens haberetur, non iteraretur. Ac per hoc quum cõfessio teneat locum proximum materiæ in sacramento pœnitentiæ (ut in eodè Concilio Florentino habetur) nisi multiplicetur confessio, non potest multiplicari absolutio. Et quia potest homopluries confiteri eadem peccata, potest quoque pluries ab eis absolui.

*Absolutio pœnitentiæ plura ex parte absoluentis presupponit, quibus deficientibus inanis efficitur.*

**A**bsolutio à peccatis ex parte absoluentis, exigit ut absolvens minister sit sacramenti pœnitentiæ, ac per hoc sit sacerdos habens autoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris: ut in eodem Florët. Concil. sub Eugenio quarto habetur.

Vbi circa necessitatem aduerte non sufficere ad ministrandum sacramentum pœnitentiæ esse sacerdotem, sed ultra sacerdotalem potestatem requiri autoritatem aliam. Et hoc est quod communiter dici soles

## Absolut. ex parte absol. 5

solet, quod scilicet requiritur duplex potestas, videlicet & ordinis & iurisdictionis. Potestas enim ordinis habetur ex sacerdotio: potestas autem iurisdictionis habetur vel ex officio pastoralis, vel ex commissione eius qui est pastor pœnitens. Intantum autem utraque ista potestas requiritur, ut si altera desit, absolutio sacramentalis sit nulla propter defectum ministri, ita quod si non sacerdos absoluit à peccatis, nihil fit: & similiter si sacerdos absoluit eum qui sibi subditus nullo modo est, nihil fit.

Circa modos, quibus sacerdos habet potestatem iurisdictionis in foro pœnitentialem, adverte quod ultra duos manifestos modos ex parte autoritatis prælocatæ in ipso absolvente (scilicet vel ex officio ordinario, ut est Episcopatus & parochia: vel ex commissione, ut alii à Papa vel Episcopis, vel Curatis, vel eorum officialibus aut vicariis solitis committere audientiam confessionum, habentes autoritatem audiendi confessiones) inveniuntur quinque alii modi seu casus quibus sacerdos sortitur subditum: ita quod potest pœnitentem sacramentaliter absoluere à peccatis: & sunt, necessitas, libertas, facultas, licentia, & consuetudo. Declaro singula.

△ **Necessitas duplex est: scilicet, vel ratione mortis, vel ratione communionis.** Quando in articulo mortis deficit confessor, potest quilibet sacerdos illum absoluere ab omnibus suis peccatis sibi confessis, ut habetur in cap. Pastoralis de offic. ordi. Quando verò imminet alicui necessitas communicandi, & deficit ei confessor, non potest propterea absolui à quolibet sacerdote: quia necessitas celebrandi missam: quæ maius quid importat quàm necessitas communicandi, non habet hoc privilegium, sed dicitur constitutum in tali necessitate intra terminos non habentium copiam confessoris.

A 3

Libertas

## 6 Absolut. ex parte absol.

Libertas in proposito significat non subiectionem alicui particulari, vt proprio sacerdoti. Et tripliciter inuenitur. Vel quia persona nulli subditur, vt persona Papæ: & propterea cui se subiicit, ille potest ipsum absoluere à peccatis. Vel ratione status, quia scilicet nunquam in eodem loco permanent: ac per hoc nulli particulari ministro sacramenti poenitentiae subduntur, quum non sit maior ratio quod subiciantur vni magis quam alteri, vt sunt vagabundi, qui scilicet vel nullibi habitant, sed vagantur: vel licet alicubi domicilium cum vxore & filiis habeant, communiter tamen sunt in continuo motu, ita quod etiam in Paschate extra inueniri consueuerunt: hi enim perinde ac vagabundi quo ad sacramenta poenitentiae & eucharistiae censentur, & absolui à quolibet confessore possunt. Vel ratione materiae, quia scilicet in tali materia nulli est subiectus confessori: vt contingit in peccatis venialibus, quia nullus tenetur illa confiteri, ac per hoc nulli propter illa confessori subditur à iure: & ideo quilibet potest à quolibet sacerdote de peccatis venialibus sacramentaliter absolui.

Facultas eligendi confessorem à iure concessa est Episcopis, & tam inferioribus quam superioribus, praelatis exemptis. vt in cap. Ne pro dilatione de poeniten. & remis. & conceditur multis ex speciali gratia à summo Pontifice. in confessionalibus propterea non est dubium hos posse absolui à quo maluerint sacerdote.

Licentia dupliciter datur. Vel explicitè: quum curatus in communi dicit populo, Quilibet vadat ad confitendum cui vult: aut specialiter alicui dicit, Confitearis cui vis, & hoc nihil aliud est, quam dare licentiam eligendi sibi confessorem. Vel implicitè. Et hoc contingit primò licentiando subditos ad peregrinandum. In hac enim peregrinationis licentia, implicitè claudi

## Absolut. ex parte absol. 7

claudi creditur licentia confitendi: quia confessio co-  
mes esse debet viatorum. Et hoc intelligo cum dua-  
bus limitationibus. Altera est quò ad confessiones,  
& communionem necessarias, vt Paschales, aut so-  
litas, quò ad eos qui sæpe consueuerunt confiteri &  
communicare aut celebrare. Et hæc limitatio intel-  
ligitur amplectendo tutiorem partem. Quia enim  
ista licentia à doctoribus potius quàm à iure profi-  
cisci videtur, timeo illam extendere ultra solita tan-  
quam præcogitata: Altera, quò ad confessores, qui  
scilicet in locis illis confessores sunt aliorum: huius-  
modi enim implicita licentia non videtur amplianda,  
vt faciat viatores melioris conditionis quàm incolas,  
vt scilicet possint sibi eligere in confessorem quem  
velint: sed sufficit quòd provideat viatoribus quum  
extra sunt, vt possint tanquam incolæ confiteri &  
communicare. Vnde & in iure provideatur de mini-  
stro eucharistiæ pro peregrinis proculdubio licentia-  
tis à suis curatis: vt patet in cap. Presbyter. de celeb.  
mi. i. Secundò, sciendo & tacendo: vt quum Episco-  
pus scit consuetum esse, vt canonici seu curati sui in-  
uicem se absoluât, & tacet. Quauis enim nulla con-  
suetudine introduci possit, vt quis possit sibi eligere  
confessorem ( vt dicitur in cap. Si episcopus. de poe-  
nitent. & remis. in vi. ) ex hoc tamen quòd Episcopus  
scit & tacet, tenetur provideere illis de confessore: &  
tacita Episcopalis licentia, robur dat absolutionibus,  
& consuetudo non concurrat, nisi vt testis licentiæ  
implicitæ. Et ob huiusmodi implicitam licentiam  
viatores sine licentia curati possunt in Paschate con-  
fiteri & communicare vbi se inuenerint, sicut licenti-  
ati: si & vbi curatus consueuerit seruari quis pa-  
rochianus defuerit poenitentia & communioni, &  
viatorum dicentium se vbi se inuenerunt, confessos  
fuisse & communicasse, factum probare: attestatur

## 8 Absolut. ex parte absol.

siquidem huiusmodi consuetudo implicitæ licentiæ, & pia menti curati, qua voluit implicitè suos confiteri & communicari extrà in casu quo festa Paschalia contingeret extrà peragere. Memini aliàs me legisse, Eugenium quartum concessisse seu declarasse viuc vocis oraculo, viatores vbi se inuenerint in Paschate, censendos tanquàm adeptos incolatū quò ad sacramenta pœnitentiæ & eucharistiæ: & secundum hoc non est opus in Paschate huiusmodi interpretatiua licentiæ, sed possunt tunc ab illis confessoribus à quibus iucolè absoluuntur, absolui etiam à casibus Episcopalibus, prout Episcopus loci disponit. In reliquis autem omnibus supradictis licentiis explicitè vel implicitè ab Episcopis seu curatis, non approbo posse licentiatos absolui à casibus reseruatīs Episcopo: quia hoc est contra iuris dispositionem. in vi. de pœni & remis. c. Si Episcopus. vbi dicitur, quòd Episcopo dante licentiam alicui quòd confiteatur, non propterea concedit casus reseruatos. Si ergo licentiæ explicita, non comprehendit casus reseruatos, multò minus licentiæ implicita ad illos se extendit. Consuetudo non eligendi confessorem, sed habendi curam animarum præscripta, operatur, vt tam Cardinales curam habeant familiæ suæ, & de eorum licentiâ sui familiares cōfiteri possint cui velint, quàm quicumque alii huiusmodi curam habentes possint similiter absolutionis beneficium per se vel alium suis impartiri: potest enim huiusmodi iurisdictio non minus quàm alia haberi ex præscripta consuetudine.

*Absolutio nonnullis circumstantiis indebitis impeditur, tam ex parte absoluentis, quàm absoluendi.*

**A**bsolutionis impedimenta multa sunt. Et ideo aduertendum est posse illam impediari vel ex parte absol.